



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola III. Gregorii Papae I. Ad Anastasivm Episcopvm Antiochenvm.
Consolatoriam scribit epistolam de aduersitatibus huius mundi, de
barbarorum gladiis, ac diuersis aduersitatibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

quia quantum vicina fuerit, tantum prodesse animabus illic consistentibus amplius poterit. Latorem vero præsentium per intercessionem sanctitatis vestræ acolythum fecimus, quem ad obsequia vestra retransmisimus, ut si in lucrandis animabus amplius seruiert, proficere amplius possit.

EPISTOLA III.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANASTASIVM EPISCOPVM ANTIOCHENVM.

Consolatoriam scribit epistolam de aduersitatibus huius mundi, de barbarorum gladiis, ac diuersis aduersitatibus.

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.

SVSCEPI epistolas suauissimæ beatitudinis vestræ, quæ pro verbis lacrymas pluebant. Vidi namque in eis nubem more suo in altum volentem, sed quamdam caliginem tristitiæ ferentem, nec penetrare in ipso exordio facile valui, unde & quo iret, quia pro ipsa quam dixi caligine ad plenum causas non intellexi. Hoc tamen sanctissimos vos semper, sicut & facitis, reducere ad mentem decet, quod prædicator gentium dicit: *In nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, & cetera, quæ mihi labor est dicere, & vobis non est necessarium audire.* Ecce in senectute vestra sancta beatitudo multis tribulationibus laborat, sed perpendat cuius sedem teneat. Numquid non illius, cui voce veritatis dictum est: *Cum senueris, alius te cinget, & ducet quo non vis?* Sed hæc dicens recolo quod sanctitas vestra in multis aduersitatibus etiam a iuuentute desudauit. Cum bono ergo rege dicat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sunt autem multi qui delectationem suam, sicut scribitis, de nostris sibi vulneribus faciunt: sed scimus qui dixit: *Plorabitis, & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: vbi & protinus adiunxit: Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quia vero iam prædicta patimur, restat ut etiam promissa sperare debeamus. Hi enim de quibus dicitis, quia ipsi addunt onera qui subleuare debuerunt, scio quia illi sunt, qui veniunt

2. Tim. 3.

Ioan. 21.

Isa. 38.

Ioan. 16.

Matth. 7.

in vestitu ouium, & intus sunt lupi rapaces. Sed tanto magis tolerandi sunt, quanto nos non solum per malitiosam mentem, sed etiam per religiosum habitum persequuntur. In hoc autem quod soli præ aliis habere appetunt, quod dignum non fuerat ut vel cum fratribus haberent, nullo modo turbamur; quia in omnipotenti Deo confidimus, quod hi qui aliena appetunt, etiam suis citius priuantur. Scimus enim qui dixit: *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur.* Et rursus scriptum est: *Ante ruinam exaltatur cor.* His autem diebus, sicut inuenio, noua hæreticorum bella confurgunt, de quibus vestra beatitudini iam antea scripti, ita ut prophetas, euangelia, & dicta patrum omnia euacuare moliantur. Sed permanente vita vestrae sanctitatis, in protectoris nostri gratia speramus, quod eorum ora citius obmutescant, quæ contra soliditatem veritatis aperta sunt, quia & quamlibet acuti gladii immittantur, cum saxum feriunt, fracti resiliunt. Hoc autem magna Dei omnipotentis est gratia, quod in ipsis qui a sanctæ ecclesiæ doctrina diuisi sunt, vnitas non est: *Quoniam omne regnum in se diuisum non stabit.* Et sancta ecclesia subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum hæreticorum questionibus impugnatur, ita ut aperte impleatur quod per Psalmistam contra hæreticos de Deo dictum est: *Diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius.* Nam dum ipsi in suo prauo errore diuiduntur, cor nobis Deus appropiat; quia eruditi aduersitatibus, intellectum eius subtilius inuenimus. Quæ autem mala a barbarorum gladiis, quæ a peruersitate iudicum patimur, beatitudini vestra narrare refugio, ne eius gemitum augeam, quem minuire consolando debueram. Sed in his omnibus auctoris nostri precepta consolantur dicentis: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis.* Penso enim quibus dictum est: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Si ergo potestas lucis postea erit, quia electis dictum est: *Vos estis lux mundi:* & sicut scriptum est: *Obtinebant eos iusti in matutino:* omne quod in hora & potestate tenebrarum patimur, lugendum non est. Indicat autem mihi suauissima sanctitas vestra, quod mecum, si potuisset fieri, sine charta & calamo loqui voluisset, & dolet quod nobis orientis pene & occidentis spatium interiacet. Sed

Luc. 14.

Prov. 16.

Luc. 11.

Psalm. 54.

Ioan. 16.

Luc. 22.

Matth. 5.

Psalm. 48.

hoc quod sentio, verum dico, & in charta mihi mens vestra sine charta loquitur, quia in verba vestræ sanctitatis sola caritas sonat, & diuisi locis non sumus, qui ex dono omnipotentis Domini dilectionis vinculo coniuncti sumus. Cur igitur accipere pennas columbæ deargentatæ quæritis, quas iam habetis? Pennæ quippe eius sunt caritas Dei & proximi. Per ipsas enim sancta ecclesia euolat, per ipsas terrena omnia transcendit; quas si vestra sanctitas non haberet, ad me cum tanta caritate per epistolas non venisset. Rogo autem ut pro mei cordis infirmitate enixius oretis, quatenus omnipotens Deus mentem meam a malis omnibus pro vestra intercessione tueatur, & citius me de tot procellis huius tempestatis eripiat, atque in æternæ quietis litore perducatur. Benedictiones vero locupletissimas omnes quæ directæ sunt suscepi, quas mihi vir Dei pauper spiritu transmisisti, de quibus dicitis: Quid enim debet pauper, nisi ea quæ paupera sunt? Sed nisi vos per humilitatis spiritum pauperes essetis, benedictiones vestræ locupletes non fuissent. Omnipotens Deus sua vos a malis omnibus protectione custodiat, & quoniam vita vestra bonis omnibus valde est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad cælestis patriæ gaudia perducatur.

EPISTOLA IV.

GREGORII PAPÆ I.

AD BONVM EPISCOPVM MESSANENSEM.

De precio pro sepultura aliqua nunquam recipiendo,
vbi proponit exemplum Abrahæ,
& Sichimitarum.

Gregorius Bono episcopo Messano.

FILIVS noster Faustinus vir eloquentissimus ad nos veniens questus nobis est, quod pater eius quondam Peltrastius aliqua vestræ ecclesiæ, sepulturæ suæ gratia iuris alieni reliquerit. Et quidem quid de hac re sæculi leges habeant & ipsi nostis, & nos audiuius: quia heres ad soluendum cogitur, si auctor eius vel testator aliena legauerit. Sed quia fraternitatem vestram lege Dei, non autem lege sæculi nouimus viuere, valde mihi iniustum videtur, ut calix electrinus, & puer qui cuiusdam ecclesiæ, in possessione